



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati
Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos
centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

De Sanctis

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXX

SS. Innocentum martyrum festo Paraphrasis in Lectionem Apocalyp. XIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47060)

rimus, ut suis precibus Christi nobis gratiam conciliet, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus in secula seculorum, Amen.

IN FESTO SANCTORVM INNOCENTIVM

martyrum, Lectio Apocalyp. beati Ioannis Apostoli, cap. XIII.

In diebus illis, Vidi supra montem Sion agnum stantem, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen eius, & nomen patris eius scriptum in frontibus suis. Et audiui vocem de celo, tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitruum magni: & vocem quam audiui, sicut citharadorum citharizantium in citharis suis. Et cantabant quasi canticum novum ante sedem, & ante quatuor animalia & seniores. Et nemo poterat dicere canticum nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt. Hi sequuntur agnum quocumque ierit. Hi empti sunt ex omnibus primitiis Deo, & agno, & in ore eorum non est inuentum mendacium. Sine macula sunt ante thronum Dei.

PARAPHRASIS IN EANDEM LECTIONEM.

Quandoquidem hodie sanctorum innocentum martyrum solennitatem celebramus, qui Christo recens nato non loquendo quidem neque intelligendo, neque operando, sed tantum moriendo testimonium reddiderunt, atque eo genere martyrij ab impio Herode coronati sunt, quod solo opere non voluntate suscipitur, congrue nimirum præfens Lectio Epistolæ loco in Ecclesia recitatur, utpote in qua mentio fit virginum simul & martyrum, cuiusmodi hos beatissimos paruulos fuisse constat: tamen ipsa Apocalypsis verba ad solas virgines possunt accommodari. Ait ergo S. Ioannes: Vidi per spiritalem intelligentiam, aut imaginariam visionem, agnum stantem, de quo sacratissimus Christi Baptista Ioannes olim dixerat: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: agnus utique ob singularem innocentiam & mansuetudinem, qui peccatum non fecit, & coram tondentibus se nisi diaboli prorsus obmutuit, ne vnum saltem asperius verbum proferens.* Hunc ergo stantem vidi, tanquam paratum ad ferendum auxilium cunctis eius opem poscētib; supra montem Sion, id est, vel militantem, vel triumphantem Ecclesiam. Vtriusque enim rex & princeps atque caput est Christus, sicut eius verbis in Psalmo dicitur: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super montem sanctum eius.* Et cum eo centum quadraginta quatuor millia, subaudi, stantes erant. Siquidem etiam sancti mortalibus auxilio sunt. Positus est autem hic numerus definitus pro indefinito, quo sanctorum illorum vniuersitas comprehenditur, de quibus hic agit. Per ipsa verò centum quadraginta quatuor millia intellige cunctorum martyrum agmina, qui carnis & mentis integritatem seruauerunt. Apud Deum enim illi maiori excellunt dignitate, quos martyrium simul & virginitas exornant: quandoquidem pro-

Ioan. 1.

1. Pet. 2.

Eiaz. 53.

Psal. 2.

Martyrium simul cum carnis virginitate quam excellens ut minus.

prius

Numerus centenarius qd mystice significet.

Quadragenarius numerus quid mystice significet.

Millemarius numerus quid mystice significet.

Apocal. 22.

Hieronym.

Rom. 8.

Beatitudo sanctorum quando perficitur.

1. Pet. 1.

pius ad eum accedunt, & quocunque ierit, eum sequuntur, eo quod non modo corporis integritate sed etiam perpersionis amaritudine ipsum imitantur. Aut si magis placet, de solis virginibus accipe. Porro numerus iste magno haud vacat mysterio. Per centum enim sepe quod perfectum est in diuinis literis significatur. Quadragenarius quoque numerus vel decalogi & legis completionem, vel alijs occultis rationibus in mysterio est consecratus. Quaternarius item vel propter quatuor Euangelia, vel quatuor paradisi flumina, vel quatuor virtutum principalium exercitationem sacras est. Millemarius denique etiam crebro tanquam absolutus ponitur. Vnde quod alibi S. Ioannes in Apocalypsi dicit sanctos cum Christo mille annis regnuros, non ita accipiendum est, vt quidam ineptè senserunt, quod post resurrectionem in terris tot annis sint regnaturi, sed quod semper in omnia futura secula seculorum. Neque otiose hic transeundum est, quod ait hæc centum quadraginta quatuor millia supra montem Sion stetisse. Cum sint enim ipsi montem Sion, quomodo stant supra montem. Itaque hoc de ipsorum excellentia intelligendum est, qua aliorum fidelium sublimitatem transcendunt: aut certe quod etiam se ipsos transcendunt. In carne enim præter carnem viuentem angelicæ potius dignitatis, quam humanæ fragilitatis est. Habentes nomen eius, id est, fidem vnde appellantur Christiani, & nomen, patris eius, id est, fidem qua vocantur filij Dei, scriptum per indeficientem perseuerantiam in frontibus suis, per publicam ac manifestam confessionem, qua non erubuerunt confiteri ea quæ sunt veritatis fidei Christianæ quæ Filius Dei, vt à Patre dixerat nos edocuit. Et audiui auribus internis vocem de cælo suentem triumphantis, siue militantis Ecclesiæ tanquam vocem aquarum multarum vel quia multi erant, quorum audiebat vocem, vel quia ardentissime & totis viribus laudabāt Deum. Et vox quam audiui sicut citharæ dorum citharizantium in citharis suis. Namque & Deo sanctis quæ Angelis eius gratissima, & mihi Ioanni eam audienti longè suauissima erat.

Et cantabant quasi canticum nouum, id est, de incorrupta mentis & corporis integritate, & pro Deo perpessus cruciatibus gaudebant. Non dicit, nouum, sed quasi nouum. Nōdum enim perfecta est sanctorum beatitudo, quantum complebitur, cum corpora sua receperint, in quibus dum hic essent Deo & iustitiæ militauerunt. Cantabant autem ante sedem Dei, id est, coram angelicis spiritibus, in quibus Deus residet, & ante quatuor animalia & seniores, id est, præcipuos sanctos, vel prædicatores & iudices. Et nemo poterat dicere canticum nisi illa centum quadraginta quatuor millia. Non enim poterant de mentis & corporis incorrupta virginitate gaudere, nisi qui ea prædicta fuerit, ne ipse quidem Apostolici ordinis princeps Petrus Apostolus, qui uxorem habuit. Qui empti sunt de terra, redempti pretioso sanguine agni immaculati, & à terrena concupiscentia eleuati, aut ab hominum carnalitate numero selecti & segregati. Hi sunt, qui cū mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt. Ecce habes carnis integritatem. Hi sequuntur agnum quocumque ierit: habes & passionis imitationem. Vel intellige de solis virginibus, qui mentis & corporis intemeratam seruauerunt castimoniam. Hi empti sunt ex omnibus, id est, tota hominum frequentia primitiæ Deo & agno, tanquam præcipue illis chari ob virginitatis ac passionis meritum, vel ob

violatum

violatum corporis pudorem: & in ore ipsorum non est inuentum mendacium. Non enim potuerunt adduci villo suppliciorum genere, vt dæmonum idola mentiretur deos esse, sed veritatem constantissime professi sunt. Quod ad nostros beatissimos innocentes martyres attinet, eos quidem certum est nullum vnquam mendacium protulisse. Sine macula sunt ante thronū Dei: qui tamen si originis maculam contraxerint, tamen vel circuncisione, vel sanguinis sui effusione penitus sunt expiati. O beatos & verè immaculatos paruulos, in quibus nihil hæsit vitij, qui ante pro Christo & Deo occisi sunt, quam vllam vel Christi vel Dei notitiam haberent, quos sibi Christus in hunc mundum editus martyrum suorum primitias consecrauit, & paruus adhuc paruulos collegit, tanquam iam tum diceret: *Sinite paruulos venire ad me. talium est enim regnum celorum.*

Matth. 19.

EXEGESIS EVANGELII IN EODEM FESTO

Matthæi II.

IN huius diei Euangelio luculenter nobis describitur tum ipse Dominus, tum dum nati eiusque mœstissimæ matris durum & miserabile exilium, quod ob declinandam Herodis reguli scuitiam Rex cæli & terræ propter nos infirmus tolerare voluit: tum beatissimorum paruulorum crudelis ac inhumana necatio, quos idem Herodes humana quidem vsus calliditate, sed plusquam belluina feritate neci dedit eo consilio, quod se speraret inter cæteros etiam illum quem quærebat, sed ignorabat, infantem posse perimere. Atque ô quanta est humana versutia contra Dei consilium. Vnū Christum molitur extinguere, & non solum Christo nihil nocet, sed etiam illos quos se occidisse putauit, potius ad vitam misit coronandos. Inter hæc dilectissimi id primum debetis adsertere, quam tener Dominus noster Iesus Christus huius mundi persecutiones & odia ac iniurias ceperit experiri, quâ ab ipso matris vtero pro nostris peccatis Deo Patri satisfacere innumeris perferendis incommodis, subeundis laboribus, tolerandis pœnis & cruciatibus sit exorsus. Verum ad ipsam iam Euangelij explanationē accedamus.

Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens:

Posteaquam enim puerum Iesum in templo obtulerant parentes eius, iam redire parabant in Nazareth. Sub idem autem tempus Deus misit Angelum suum, qui diuini adhuc ignarum consilij sanctum Iosephum admoneret, vt cum puero & matre eius secederet in Aegyptum. Factaque est hæc apparitio sub specie seu visione imaginaria. Solent enim in somnis fieri diuinæ reuelationes, quod tum sensus vacent, & phantasia quietior sit. Sæpius autem huic beatissimo patriarchæ Iosepho Angelus Domini apparuisse legitur, neque id immerito: quandoquidem præcellentis meriti virum eum fuisse multa declarant: vnde iam nonnihil obiter dicturi sumus. Et iustum quidem eum fuisse etiam ante natum Saluatorem, Euangelista Matthæus testatur. Quod si attendas verissimo matrimonio iunctum eum fuisse sacratissimæ virgini Mariæ, qua nihil vnquam sanctius mundus habuit: quæque mox Deum paritura erat, nonne hoc ipso omnino persuadere tibi cogaris, nunquam id Deum permissurum fuisse, nisi illi tam singulari virgini & corporis ac animi pudicitia, & morum integritate & vice

Matth. 1.

Reuelationes quando potissimum fieri solite sunt.

Matth. 1. Ioseph excellentia quæta fuerit.

o 2 sancti-

sanctimonia maximè consimilis fuisset, atque ob id dignus planè, qui filij Dei nutritor & pater putaretur, tantæque virginis coniunx fieret? Credamus ergo (nam id quoque ad Saluatoris nostri cedit honorem) hunc reuerendissimum virum virginitate purissima, humilitate profundissima, tum Dei, tum proximi amore feruentissimo, contemplationis gratia haud vulgari, salutis animarum zelo vehementissimo, multisq; alijs præclaris virtutibus & charismatibus instar sponsæ suæ sacratissimæ virginis Mariæ præditum fuisse. Et quia diuinis abunde illustrata fulgoribus virgo beata eum sibi sponsum & virginitatis suæ custodem ac vitæ solatium, itemque nutritium ex se nascituri filij Dei diuinitus datum optimè nouerat, omnemque interioris hominis eius statum non ignorabat, nihil ambi potest, quin eum castissimè & feruentissimè dilexerit. Quomodo enim non posset non modo non vehementer amare, sed etiam præcipua in veneratione habere eum, cui præ cunctis mortalibus id à Deo honoris delatum cerneret, ut filij eius custos & nutritus esset? Quis verò cogitare sufficiat quam ignitas pro illo ad Deum preces sæpè fuderit, quantumq; ipsdem suis precibus illi profuerit apud Deum? Si enim virginem sacratissimam omni gratia & virtute plenam fuisse credimus, qui fieri possit, ut cum continuis vteretur beatissimi Iosephi seruitijs, non rursum illi quicquid potuerit præstiterit, maximè apud Deum, feruentissimè pro illo obsecrando, ut Deus in eo sua dona magis ac magis augmentaret? Nam nisi ita egisset, posset ingratitude argui, quæ ab ea semper longissimè abfuit. Iam si diligenter perpendas tam diuturno eoque perpetuo & admodum familiari vsu tantæ virginis & ipsius quoque filij Dei contubernio, habes nimirum rationem efficacissimam, qua etiam cogaris credere in omni virtute in dies mirifice eum profecisse ac summe perfectum fuisse. Si enim *cum sancto sanctus & cum innocente innocens* eris, quomodo ille non sanctissimus & innocentissimus habendus est, qui cum sanctissimis & innocentissimis puta matre Dei, & Filio Dei, cui vsque ad vitimum spiritum, ut pater officio, & nutritus beneficio conuixit, assidue versatus est? Porro si attendas eundem Dei Filium eidem reuerentissimo viro & beatissimo patriarchæ semper promptissimè obtemperasse, ac ei patri reuerenter detulisse, sapius quoque eum dulcissimè amplexatum, de osculatum consolatum fuisse (Hæc enim omnia pia mens liberè secum cogitare potest) omnino sentias oportet, non potuisse non summo eum diuinitatis amore accendi, qui tanta tam stupenda & cunctis inaudita seculi in se experiretur beneficia Dei. Non enim fas est putare filium Dei non maxime eum affectisse beneficijs, cuius erga se perpetuam eamque ineffabilem curam, sollicitudinem, ministerium experiebatur. Quam etiâ curam & sollicitudinem beata Virgo manifestè in eo deprehendit, quando filium suum amiserat. Vnde postea eidem inuento sic ait: *Pater tuus & ego, dolentes quærebamus te.* O quid non doleret venerandus patriarcha amisisse se Deum ac Dominum suum in quem vnum totum cordis, & spiritus sui amorem contulerat? Denique si Omnipotens Deus ei quem ad aliquem statum vel officium eligit, etiam cuncta gratiæ suæ dona illi vel statui vel officio necessaria intundit, hunc beatissimum Iosephum ad tantam elegit dignitatem, ut filij sui patrem eum secum vellet haberi, efficacis hinc ratio sumi potest.

Amor inter sanctam Mariam & diuini Iosephi quam fuerit castissimus.

Iosephi sanctitas quantam fuerit.

Psal. 7.

Conuersatio pueri Iesu cum Ioseph qualis fuerit.

Luce 2.

potest, summis eum & præclarissimis virtutibus ornatum fuisse. Non enim decuisset talem ac tantum filium, patrem quamuis putatum se indignum vel saltem minus dignum habere. Minus dignus autem videri poterat, si nõ omni virtute admodum præcellenter instructus atque decoratus fuisset. Sed hætenus de tanti patris sanctitate & præstantia singulari dictum est satis. Utinam eum mercamur habere propitium apud Deum. Tali igitur tamquæ illustri patriarchæ Angelus Domini in somnis apparuit. Sed cur non potius ipsi virgini & matri Saluatoris? Potest dici, quod Spiritus sanctus in hoc deferre voluit sancto Iosepho, vt qui à Deo ad id electus erat, vt tñ Saluatoris, tum Matris virginis curam gereret, etiam diuinitus, qua id ratione fieri opoteret, edoceret? Quid autem angelus sancto Iosepho mandauerit, sequentia verba declarant.

Matth. 9.

Surge, & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Aegyptum.

O verè triste nũtium, ipsi quidem S. Ioseph graue, sed virgini matri, præfertim tam teneræ, tam verecundæ longè grauissimum, idquæ non tam sua, quam infantuli Iesu, cuius vicem summè dolebat, causa. Surge inquit. Non licebat Filio Dei in illa tam tenera ætate vel quietum somnum capere, iubetur sanctus Ioseph è somno surgere. Ergo non poterat Deus Pater Filiũ suum tueri, nisi in tenebris fugientem? Sed nolebat parcere amantiissimo vni-genito suo vt nobis miseris, nobis perditis parceret. Vide in hoc ipso immensam erga nos charitatem Dei, vt scias quantum illum amare, quàm illi gratus esse debeas. O quàm verum est, quod per prophetam quendam ipse dicit: *Diligam eos spontaneè?* & per alium: *In charitate perpetua dilexite ideo attraxi te miserans.* Quomodo enim nos vnquam mereri potuissemus tantam erga nos benignitatem Dei, nisi quia ipse suapte sponte, ac gratuita bonitate sua talem se erga nos præbere voluit? Simul autem consideres hic velim, quàm molestum fuerit tum matri virginæ, quæ plus minus sextum decimum ætatis annum tum agebat, tum Domino Saluatori adhuc tenerissimo infantulo, tum ipsi venerando seni Ioseph, tam longinquum & iguotum carpere iter. Vides nimirum, vt Saluator piissimus in ea ætate, quæ omnis laboris & doloris summè impatiens est, laborem & dolorem molestissimum

Osee: 4.
Hierem. 31.

In qua sua ætate Christus passus est.

Fuga Christi pauperissima in Aegyptum qua fuerit.

Attende singula curiosius, Ioseph admonitus ab angelo confestim surgit & matrè excitat. Illa totis concussa visceribus anxia & tremens arripit paruulum Saluatorem & iter accelerat. Puer ita præter solitum excitatus mœstos edit vagitus, non tam sua incommoda, quàm nostra demerita lugens. Ad hoc enim venerat, vt suis immeritis pœnis & laboribus nostra peccata aboleret. Ita iam in tenebris incipiunt proficisci. Interim nulla hic fit mentio alicuius magni apparatus, non famulorum, non curruum, non equorũ, sed Filius omnipotentis Dei cum paupercula virgine, & simplici sene iter ingrediuntur, relicta patria, relicta domo relictis notis & cognatis omnibus. O vos qui semper mollia quæritis, & nihil vnquam molestiæ perpeti vultis, huc quæso oculos animumque aduertite, vt vel tanto admoniti exemplo discatis propriæ salutis causa vel parũ aliquid perpeti, cuius gratia Dei

Filius tanta perferre voluit. Vos delicias experitis, easque in debitas: non enim decet in exilio voluptatibus operam dare, ille cum omnium esset Dominus, & eo nomine omni commodo & quiete dignissimus, tamen dura & aspera amplexus est. Sed quid tibi vult, quod in Aegyptum Dominus mittitur? Vt scilicet impleretur S. Eliaie vaticinium, quo ait: *Be Dominus assemletur super nubem leuem, & ingreditur Aegyptum, & mouebuntur simulacra Aegypti facie eius:* atque vt hoc ipso ostenderetur eum, quem impij Iudaei non essent recepturi à gentibus suscipiendum: quod etiam post eius mortem & ascensionem euidentissimè impletum est, hodieque impletur, quando inuenerunt in ignotis orbis partibus summa cura audacitate Christi fidem amplectuntur, & Saluatorem mundi ingenti cum feruore excipiunt.

Et isto ibi vsque dum dicam tibi.

Hæc verba spiritali significatione non carent. Solet Omnipotens Deus quibusdoque seruis suis subtrahere omnem deuotionem & gratiam sensibilem, omnem piæ affectum & illuminationem internam, & in tantis eos relinquere tenebris vt sibi videantur relictæ à Deo, perinde ac si nullam illiusquam notitiam habuerint. Interim etiam graues & horrendæ sæpè accidunt tentationes, quales commemorare fortè nec expedit propter inexpectatos. Isti ergo in Aegypto degunt, quamdiu tali in derelictione versantur. Sed quidam impatientes, dum diuinam sentiunt abesse consolationem, vanam & temporariam inordinate aucupantur. Tales seipsos liberare volunt, nec expectant donec diuinitus liberentur. Faciunt igitur contra hanc admonitionem Angeli, imo Spiritus sancti dicentis: *Esto ibi vsque dum dicam tibi.* Cum enim gratia sensibilis non ardet, sed tenebræ & torpor quidam hominem occupant, non debet ex vitæ huius noxijs oblectamentis remedium ac leuamentum quærere, sed fideliter perseuerare Deo ac Domino Iesu semper in animo suo propositam sibi gerens illam Apostoli sententiam: *Fidelis Deus qui non patitur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam in tentatione prouentum, vt possitis sustinere:* sicque æquanimiter præstolari, donec visum sit sancto Spiritui ex eiusmodi eum tenebris educere, & reuocare in terram Israel vbi iam Deum & diuina cognoscat & contempletur, ac solius gratiæ affluentia visitetur, & piæ deuotionis affectum recuperet.

Futurum est enim, vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum.

Videmus hic dilectissimi, quantum malum sit execranda ambitio. Herodes iste homo alienigena, apud Iudæos dominium atque regnum præter ordinem obtinuerat. Itaque vbi didicit ex Magis natum verum Iudaici regni hæredem & successorem, veritus ne si is à populo agnosceretur, ipse tanquam regni inuasor depelleretur, mox animum ad infantem illum extinguendum adiecit. Atque ea de causa Magis persuasit, vt irent puerum exploratum, ac deinde si quid certi comperissent, ad ipsum referrent, vt & ipse puerum adoraret, imo verò prorsus neci daret. Ita eum iam occupauerat quædam licet iniqua & indebita dominandi libido, vt contra fas & ius omnemque noxium paruulum, quamuis legitimum Israelitarum principem extinguere

In Aegyptum
cur Christus
dilatus fuerit.
Esaie. 19.

Deum suos
electos sub
inde exponere
diuersis afflictio
nibus.

Gratia sensibi
bilis subtrahitur
quid quisque
agere debeat.
1. Cor. 10.

Matth. 2.

Ambitio in
que mala ho
minem præ
cipitet.

re sit molitus. Quod ut facilius posset, simulatum spondet obsequiū, & cuius interitum animo iam conceperat, ei se supplicem fore confitetur. Ita ut possit in regno perseverare inuictus, libenter Dei legem & præcepta contemnit. Quam pulchro sane in hoc ipso hypocritarum typū gessit, qui cum nihil minus appetant, quam debitum præstare cultum omnipotenti Deo, tamen ut humanam capient gratiam, & hominum laudibus vehantur, opesq; sibi & honores accumulunt, interim foris, quædam ostentant rectè facta & studia pietatis, quæ, nisi eiusmodi iam dicta sperarent, nunquam sectarentur. Verum ut Herodes Christum, quem falso se adoraturum promiserat, nunquam inuenit tamen regnum retinuit, ita & hoc hypocritarum genus nunquam veram potest adipisci salutem, cuius autor est Christus Iesus, eo quod fictè tantum & simulatè eam quærant, licet sæpius quadam præsentis vitæ momentanea prosperitate patiantur, sed in exitium duntaxat suum. Caueamus ergo dilectissimi ambitionis & hypocrisis execranda flagitia. Honores & mundi prosperos successus despiciamus potius quam appetamus. Nam vana sunt & periculis plena. Ita fiet ut non solū non inuideamus, nec quicquam mali machinemur ijs, quibus hæc arrident, sed potius misereamur ac condoleamus, tanquam in maximis periculis constituti: nosq; felices iudicemus, ut quibus tantis malis carere liceat.

Simulatio hypocritarū cuiusmodi sit.

Roman. 8.

Obiter circa hæc Euangelij verba monendi estis charissimi, ut ne quis frangatur ex vobis si dum quippiam boni agere instituit, mox aduersis affligatur. Ecce enim ipse Dominus Iesus Christus ut nos ad perferenda huius vitæ mala corroboraret, statim ab ipso vitæ suæ exordio persecutionibus fatigari voluit: ut scilicet sua patientia nos ad malorum tolerantiam prouocaret. Semper enim omnes conatus boni habent præsertim in initio difficultates & molestias multas: sed propter eas desistendum non est, imo verò tanto virilius perseverandum, Non enim sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.

Qui confurgens, accepit puerum & matrem eius nocte, & secessit in Aegyptum. Eterat ibi vsque ad obitum Herodis, ut adimpleretur quod dictum est à Domino per prophetam dicentem: Ex Aegypto vocaui filium meum.

Habemus hic perfectissimæ obedientiæ exemplum. Poterat sanctus Ioseph respondere angelo: Puer tenerrimus est, & mater itidem tenera ac delicata puella: fortassis in itinere præ labore deficient: nec habemus vitæ sustentandæ necessaria, & terra illa cultui dæmonum dedita est. Sed his omnibus omissis ac tacitis, sine vlla vel calcitracione vel dilatione ad iter se accingit. Discamus ergo & nos promptam exhibere obedientiam tum Deo, tum superioribus nostris. Hæc enim ad eruditionem nostram scripta sunt, ut quicquid vel Deus, vel superiores nostri iusserint, sciamus obediendum nobis esse, etiam si interdum minus rationale videatur. Ipsa autem obedientia quanto fuerit velocior, tanto semper & Deo gratior & nobis fructuosior erit. Mansit autē S. Ioseph in Aegypto cum paruulo Dei Filio eiusq; pudicissima matre vsq; ad obitū Herodis. Ergo sanè diuturnū fuit illud exiliū. Possit hic pia fieri inquisitio, quid interim egerint in Aegypto, vnde vix-

Obedientia perfecte formata ubi dilatur.

Obedientia quibus & quando præstanda.

rint, quo hospitio vsi sint, aliq̄ huiuscemodi: sed fatius est, ea vnicuique cum studiosè meditanda relinquere. Habent enim piam & dulcem valde considerationem: nec fructu suo defraudabitur, quisquis exilium Domini sui matrisq̄ eius sanctissimæ libenter erit meditatus. Homines mundo diti & fastidiosi talibus non capiuntur, quia vani sunt.

Tunc Herodes videns quoniam illusus esset à Magis, & iratus est valde: & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus eius, à bimatu & infra, secundum tempus quod exquiserat à Magis.

Matth. 2.

Magi in somnis admoniti ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuerfi fuerant in regionem suam. Quod quidem principio Herodes ita interpretabatur, vt putaret eos illusos, & eam ob rem nō fuisse ausos redire ad ipsum. Postea verò quam rumor sparsim de illis quæ circa Domini ortum ac præsentationem in templo euenerant, dilatari cepit, peruenitq̄ ad aures regis quid pastores, quid Simeon & Anna de nato Salvatore retulisset, persuasit sibi Magos, vt ipsum fallerent, rem ei certâ indicare noluisse. Quapropter ira inflâmatus, communè in cunctos Bethlehemiticis & locorum circumadiacentium paruulos tyrannidem exercuit, & qui puerum suspectum nesciret, saltem inter alios vel incognitum trucidaret. Quod tamen non est assecutus, tamen tanta crudelitate vehementissimè piissimum quoque paruuli Saluatoris afflixit, totq̄ illud acerbissimi doloris confodit gladius, quos infantes propter ipsum occidit. Patiebatur enim ipse in omnibus, illi tanquam membris suis, quorum cruciatum & mortem sine maximo tormento sentire non potuit. Sed & parentibus vehementissimè piissimum quoque maximè matribus ex animo condolebat. Neque ab hoc tum dolore, tum condolentia Virginem beatissimam immunem fuisse credendum est. Occidit autem omnes pueros à bimatu & infra, id est, ab infantibus duorum annorum vsque ad vnus noctis. Non tamen statim post Magorum discessum eos occidit, sed iam anno euoluto, cum ab Augusto redisset. Quæ causa fuit, vt etiâ in infantes maioris ætatis desuieret. Possit sanè piè credi hos beatissimos paruulos, qui singulari quadam prærogatiua pro ipsa Christi persona, quod de nullo alio martyre legitur, occisi sunt, dum alij martyres pro fide & Charitate Christi perempti sunt, haud vulgarem ob id ipsam in cælesti patria gloriam & beatitudinem adeptos. Cum enim in patientia Christi personam sustinuerint (non enim alium nisi ipsum Christum Herodes cupiebat interficere) citra absurditatem, absque tamen temeraria assertionem existimari licet, eos quoque præmium siue donum quoddam præcellens ac eximium, quod eiusmodi perpersioni respondeat, percepissent.

Lucæ 1. 2.

Tyrannis Herodis impij quanta fuerit in paruulos.

Christus vti patiebatur in pueris pro eo neci datis.

Innocentes singulari mortis gloria sublimatos in cælis.

1. Corin. 12.

Si huius rei quæris rationem, audi Apostolum dicentem: *Diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus, diu dens singulis*, ac distribuens dona sua prout vult. Christus ergo qui propter se illos occidi permisit, non poterit etiam sua benignitate singulare quoddam eis conferre præmium? Noli in eis exquirere merita, quos Christus sua gratia præuenit. Paruulus editus in hanc vitam paruulos sibi ascivit, electos ante secula, tanquam flores quosdam cælestes & infantie suæ sodales charissimos, qui sicut pro Christo primi occisi sunt.

sunt, ita videntur etiam abundè redemptoris gratiam participasse.

Tunc adimpletum est, quod dictum est per Hieremiam Prophetam, dicentem: Vox in rama audita est, ploratus & ululatus multus, Rachel plorans filios suos. Et noluit consolari, quia non sunt.

Probat sanctus Euangelista scripturæ autoritate longè ante hoc beatissimorum paruulorum martyrium esse prædictum, sicut & alias sæpè scripturæ testimonia adhibet, id què eo libentius, quod Euangelium suum Iudæis hebraicè scriberet, quos putabat etiam diuinorum voluminum sententijs ad credendum promouendos. Quod autem dicit vocem in rama auditam, in excelsis intelligendum est. Cum enim multi occisi sint infantes, atque parentes multi suis orbatii liberis, communis multorum clamor & planctus exortus est, qui etiam cælos posset attingere. Porro quod Rachelem dicit plorasse filios suos, cum Bethleem sit in tribu Iuda, quæ ex Lia potius orta est, de locis adiacentibus, in quibus etiam multi occisi sunt, accipiendum est. Constat enim Rachelem haud procul à Bethleem sepultam: & ideo ratione sepulturæ mater eorum dicitur, qui illis in locis perempti sunt. Siue etiam quod tribus Iuda & Benjamin finitimæ sunt: atque ita dum nō modo in Bethleem, quæ ad tribum Iuda pertinet, sed & in omnibus finibus eius, quos etiam tribus Benjamin quæ ex Rachele duxit originem, attingit, occisi dicantur. Rachel suos plorasse fertur filios per Synecdochen. Et noluit consolari, quia non sunt, quod potest duplicem habere significationem, vel quia non sunt superstites, vel quia non sunt extincti, sed potius martyrij beatitudinem adepti. Dubium autem non est, quin dolor vehementissimus & qui nullam ferme consolationem admitteret, illorum infantium matres inuaserit. Sed Herodes impius diuinam non euasit ultionem. Nam & ipse suis liberis miserabiliter orbatii est, & sua manu se interemisset, ni fuisset à quodam præpeditus: breui tamen postea obiit vt Iosephus refert, super omnes infelicitissimus. Non enim dignus erat diuinam euadere ultionem, qui sine vlla ratione innoxios paruulos tam immaniter trucidarat, & missum mundo Saluatorem ante extinguere voluit, quam id cuius causam missus erat, id est, humani generis liberationem perfecisset.

Genes. 36.

Beniamin tribus videri ortum habuit.

Herodes crudelis in innocentes quinam occisus sit.

SERMO IN EADEM SOLENNITATE.

Vt mundi huius prospera tanquam perniciofa contemnenda, & aduersa ceu saluberrima amplectenda sint: & de paruulorum innocentia, simplicitate ac humilitate sectanda.

Surge, & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Aegyptum, Matth. II. Quod Dominus noster Iesus Christus ab ipso vitæ suæ exordio præ omnibus delicijs & commodis temporarijs, incommoda, miseriam, laborem & dolorem amplexus est, magno mysterio & saluberrima institutione ac efficacissima per suadendi ratione non vacat. Non multis opus est libris, vnde

p disci-

Infantia
Christi quam
perfecte nos
doceat quæ
facienda.

Proner. 8.
Mundus que-
nam male
doceat con-
tra veram
Christi insti-
tutionem.

Ioan. 14.

Prosperitas
mundi quid-
nam sit.

Psal. 36.

1. Ioan. 2.
Chryso. 10.

Iob 7.
Iob 20.

discamus quid præcipue placeat Deo, aut salutem nostram conducibilis sit. Inspiciamus tantum exempla Christi, & abunde inde de omnibus docebitur. Vis nosce quæ potissimum sequi, quid respicere debeas? Ipsa Christi infantia satis superque te docet. Elige non quæ Mundus habet in precio (hæc enim vana & misera, imo & fallacissima sunt) sed ea potius quæ mundus fugit & horret. Si ignoras ea, clamat tibi Christus infantulus ad matrem vbera pendens & dicens. Noli amare voluptates, diuitias, honores, prospera mundi & eiusmodi. Vide ut ego qui Dominus omnium sum, quicquid carni molestum est, extremam inopiam, mei contemptum, & mundi aduersa propter te non solum redimendum, sed etiam instituendum, amplector. Nec debes putare parui pendendum esse, exemplum meum. Cum enim Dei patris increata sapientia sim, non possum nisi quod optimum sit agere: neque erro plane, neque fallor: sed quid me contemnere vides, ea reuera vilia sunt, atque ob id merito contemnenda: quæ autem me eligere cernis ea omnino salutaria sunt, atque ea re cum primis amplectenda. Hortatur mundus & verbis & exemplis perniciosissimis, ut mollia & suauiter seceris, ut loquacitati, scurrilitati des operam, ut opes corradas, ut comestationibus & potationibus tempus transigas, ut honores & dignitatem ambias: sed si bene attendas, longe aliud te hortatur paupertas mea, stultum vile & durum præsepium, graue molestumque exilium, vagitus & lacrymarum, taciturnitas, diuitiarum contemptio, sobrietas & abstinentia mea, summa humilitas mea, & omnis honoris fastidium. Ista dilectissimi in Christo adhuc infantulo nobis proponuntur non tantum legenda, sed etiam imitanda. Ipse veritas est, ergo quicquid ab eo discordat vanum & fallax est, ipse via est: deuium ergo & errore obnoxium sit oportet, quicquid ab ipso abducit: ipse denique vita est: exitiale est igitur quicquid ei repugnat. Si beatitudinem, si veram animarum nostrarum salutem appetimus, isti veritate, huic viæ, huic vitæ inhæreamus. Discamus mundum istum contemnere, si à Deo contemni nolumus. Quid est enim omnis huius mundi prosperitas, quid oblectamenta, quid voluptas, nisi umbra quædam vanissima, nisi somnium inanissimum *Noli amulari*, ait Propheta, *in malignamibus, neque seruus facientes iniquitatem, quoniam tanquam fenum velociter auferentur & sicut olera herbarum cito decident.* Et Apostolus Ioannes: *Ecce mundus transiit, & concupiscentia eius.* Et D. Ioannes Chrysostomus, Centum, inquit, si placeat annos demus delitijs: adde & alios centum si libet: adde & decies centum, quæ erit ex his ad æternitatem compensatio? Nonne omne tempus vitæ huius, quo delitijs frui videmur & indulgere vanitati, quasi noctis vniuersi somnus, ad æternitatis comparisonem videtur. Sic etiam D. Iob. *Parat, ait, mihi Domine nihil enim sunt dies mei.* Atque apud eundem etiam alibi dicitur: *Latus impiorum breuis est, & gaudium hypocritæ ad instar puncti. Si ascenderit usque in caelum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit: quasi flos qui limum in se ne perdetur, & qui eum viderant, dicunt: Vbi est? Velut somnium auolans non inueniatur, transiet sicut visio nocturna.* Quid his verbis possit dici efficacius? Sed hæc iam attendere nolumus quando ea summa cum utilitate attenduntur. Itaque velimus nolumus, tum ea attendemus, quando iam eorum confideratio planè infrugifera erit. Interim mundi prosperitas & vanissima gaudia

VI
22

dia ac oblectamenta avidissimè appetuntur tanquam ea finis noster sint, ob quem conditi simus: & tamen etiam cum iam habentur, continenter præterfluunt, nec possunt vlla vi aut arceretineri. Præterit enim *figura huius mundi*, præterit quicquid temporarium est, & quo quisque maioribus se putat huius vitæ frui oblectamentis, eo se inaniorem magisque delusum sentiet, vbi ad extrema peruentum erit.

Itaque sciens benignissimus Saluator noster prosperos huius mundi successus vt plurimum periculosos & perniciales esse hominibus, noluit vnquam quicquam habere prosperum toto vitæ suæ spacio, non quo sibi timeret, sed vt nobis suo exemplo consuleret. Vnde factum est vt paulo post natiuitatem suam angelum mitteret ad S. Ioseph, qui cum moneret secedere in Aegyptum. Et reuera quid poterat illi tantillæ ætati accidere grauius? Tamen hoc non coactus sed sponte sua suscepit, & aliquot annis perculit. Poterat omnibus bonis rebus, omni honore & dignitate regia, delicijs quoque saltem licitis & commodis perfrui: & quidem nemo iustius. Quid enim vnquam peccati admiserat, cuius causa aduersa perpeti, deberet? Sed hæc omnia contempnit & fastidiuit, vt nobis contemnenda & fastidienda persuaderet. Ergo dilectissimi non quaramus, præsertim immodicè, huius labentis vitæ prosperitatem. Multum enim reuocat animum ab vtilissima futurorum consideratione de qua Sapiens ait: *Memorare non sima tua, & in æternum non peccabis*. O quam multos miserè euerit, atque in extremam miseriam horrendamq; damnationem adduxit rerum, voluptatumq; affluentia, qui si aduersis fortunæ statibus iactati fuissent, nunquam fortassis in tot animæ pericula incidissent. Exemplo nobis sunt Saul, Absalon, Salomon, Ieroboam, atque innumeri alij, quos prospera fortunæ aura in maxima impulit pericula & in ipsam quoque, vt veremur, tartari voraginem, quam de Salomone dubium adhuc est seruatus ne sit an perierit. In Euangelio secundum Lucam diues quidam introducit, indutus purpura & bysso, & splendè quotidie celebrans conuiuia: Sed post momentaneas illas sui corporis voluptates, sepultus dicitur in inferno. Contra verò miser quidam & mendicus Lazarus commemoratur, qui etsi aliquid molestiæ sensit dum viueret, postea tamen receptus est in sinum Abraham. Equidem facildè crediderim diuitem illum si Lazari penuria & morbo laborasset, nunquam ad id calamitatis peruenturum fuisse: atque ediuerso Lazarum si diuitis esset fortunam expertus, in idem damnationis periculum potuisse incidere. Hoc enim præter cætera mali habent secundi ac læti huius temporariæ vitæ successus, quod sæpe etiam bene firmos & robustos animos emolliunt ac labefactant, atq; sensim ita penitus eneruant, vt omnis virtutis ac pudoris oblit, in quosuis vitiorum gurgites sese immergant. Exempla possunt ex scripturis peti. Atque sicut pessimos plerumque exitus habet mundana prosperitas, & pauci ea bene vti nouerunt, fitq; plurimis malè agendi & æternæ damnationis occasio: ita ediuerso multis laborare aduersitatibus, multasq; afflictiones, tentationes, miserias perpeti ac experiri, tot secum fructus & vtilitates aduehit, vt eas nemo satis capere, nedù explicare queat. Dada tamè opera est, vt æquanimitè feratur. Quod si obmurmuret carnis infirmitas, id nihil obstat: tantù volûtas & ratio superior patiens sit.

2. Cor. 7.

Prospera huius mundi vitæ Christus habere noluit.

Matth. 2.

Eccle. 6. Voluptas prosperitasq; in quæ mala præcipitent. 1. Reg. 15. 2. Reg. 15. 3. Reg. 15. Lucæ 10.

Prosperitas huius mundi quibus malis sit obnoxia.

Aduersitates huius mundi quanta bona secum adferant.

Libet hic commemorare primum exempla quædam, quibus quantum profint aduersa perspicuum fiat. Populus ille Israeliticus dura ceruicis quæties relicto yero Deo ad colendos dæmones sese contulit, mox ab hostibus suis grauitè afflictus fuit. In ipsa autem afflictione cœpit redire ad agnitionem peccati sui, clamauit quæ ad Dominum, & relictis idolis, vni Deo seruauit, isq; eorum misertus, ab hostibus eos liberauit. Quando illi vnquã ad sanam mentem redissent, nisi vexatio dedisset intellectum auditui? Ioseph filius Iacob patriarchæ plus vexationibus creuit etiã in solo peregrino, pœta apud Aegyptios, quã vnquam in paterna domo crescere potuisset, apud fratres suos. Sub Iosue duce populi Israel nunquam legitur idem populus ad adoranda dæmonum simulachra, defecissè (nam continuis fermè bellis & laboribus vexabatur) mox autem vbi cœperunt otio & quiete perfriui, nimum suum ad idololatriam adiecerunt: ex quo vno exemplo & aduertitatis vtilitas, & prosperitatis pericula satis possunt animaduerti. Manassè rex impiissimus, cum propter immanissima flagitia sua ductus esset captiuus in Babylonem, in ipsa captiuitate respicit, & tanta Dominum, quem prius contempserat, humilitate & instantia precatus est, vt suo regno restitutus sit. Non oportet singulis recitandis immorari. Carptim tantum hinc inde quædam adferimus. Iudith vidua illa singularis & admirabilis, castitatis exemplũ cum suos admoneret, inter cætera hæc quoque ait: *Mores esse debetis, quomodo pater noster. Abraham tentatus est, & per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est. Sic Isaac, sic Iacob, sic Moyses: & omnes qui placuerunt Deo per multas tribulationes transferunt fideles.* Quã prope adfit Dominus afflictis, & tribulatis, etiam ex Daniele satis colligi licet, apud quem Nabuchodonosor rex legitur cum tribus socijs eiusdem Denielis in fornacem coniectis quartum vidisse similem filio Dei. Idem ipse Nabuchodonosor rex felicitate nimia in intolerabilem erectus superbiam, tandem vltique ad bestiarum conditionem reductus & extremè humiliatus, recuperauit sensum, & multa laude profecutus est Deum cæli viuentem in secula seculorum, in quem prius blasphemus fuerat. Et hæc quidem ex veteri testamento desumpta sunt, pauca è plurimis. Possent itidem multa ex nouo adferri, sed omisis omnibus hoc tantum dicamus Ecclesiam & fidem Christi ac veram pietatem nulla re magis quã persecutionibus & vexationibus creuisse. Lapidato à Iudæis Stephano protomartyre, facta est persecutio magna in Ecclesia quæ erat Hierosolymis, ac omnes dispersi sunt per regiones Iudææ & Samariæ præter Apostolos: sed hac occasione longè lateq; diuulgari cœpit Euangelium Christi. Sed hætenus quanta sit aduersitatis vtilitas exemplis declarasse sit satis: iam de eadem etiam alia ratione nonnihil dicamus. Libenter enim hac de re & loqui & audire debemus: siquidem id potest prodesse multis, maximè qui afflictis sunt & aduersis casibus fatigantur, quorũ grandis numerus est. Solet omnipotens Deus electos suos multis affigere incommodis, & duris ac asperis castigare flagellis. Possit id videri ex odio proficisci. Sed absit, vt benignissima Dei natura talis sit. Cor igitur eos præcipue flagellat, qui tamen illius student voluntatem exequi, ac eius obedire mandatis? Non aliam vtiq; ob causam, nisi quia eos præcipue diligit. Ergo singularis dilectionis indicium acriora flagella sunt: ita planè. *Quia*

Iudic. 10.

Esai. 41.
Genes. 39.

Iudic. 2.

4. Reg. 21.
2. Para. 35.Iudith 8.
Genes. 22.

Genes. 24.

Genes. 31. 31.
Exod. 3.
Danic. 3.
Daniel. 4.Ecclesi. Ca.
molicã sem.
per ex perle.
quationibus
creuisse.
Ador. 1.Amicos suos
Deum affi.
gere multis
flagellis &
preffuris.

enim diligit Deus castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit. Noli iudicia
 mansuetissimi & clementissimi creatoris ex te ipso metiri. Tu forsitan ne-
 minem nisi iratus percuteres: ille suos non nisi summe diligens castigat.
 Imo vero etiam improbos & iniquos non nisi summo cum amore flagel-
 lat, hoc scilicet solum efficere cupiens, ut respiciant. Et ut iam partim ex-
 emplis probatum est, innumeri vexationibus ad rectam viam reducuntur,
 qui si semper secundis vterentur successibus, nunquam salui fierent. Vis autem
 nosse, quomodo se gerat Deus erga eos quos vere & iuste odit? Audi eum per
 Psalmistam dicentem: *Dim si eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in ad-*
imentionibus suis Ergo illos summe odit, quos licet male viuētes flagellis af-
 fligere non vult, sed in hoc mundo prosperare permittit. Sed graue est
 aduersa perpeti. O quisquis ita dicis, vide obsecro quid dicas. Graue qui-
 dem est aduersa perpeti, sed humana infirmitati. Verum audi quid per pro-
 pheta Dominus polliceatur ei, qui aduersitate laborat: *Cum ipso sum*, inquit,
in tribulatione scriptam eum, & glorificabo eum. Esto iam carni molestum sit: nisi
 enim molestum foret, quare virtus esset æquanimiter perpeti? sed Dominus
 propè est, ut eruat afflictos omnes, ut cum eis portet onera quibus pre-
 muntur, imo ut ipse maximam oneris partem in se recipiat, & spiritui quā-
 dam addat fortitudinem, qua etsi non semper hilariter, tamen patienter fer-
 rat, quicquid oneris quicquid molestiæ impositum erit. Carnis obmurmu-
 ratio nihil veræ penitentiæ derogat: tantum si spiritus suo sit subditus creato-
 ri. At quidam eximius Theologus Deum se æquè præbere in afflictionibus, si-
 cut in venerabili sacramento. Facile id credi potest, si quis afflictionum
 multimodos fructus attendat. Afflictionibus Omnipotens Deus tanquam
 aptissimis instrumentis uti solet ad expurgandam præparandamq; homi-
 nis animam, ut gratiæ illius capax fiat: & quo sublimius quempiam euehe-
 re ac præclarioribus ornare virtutum & charismatum muneribus consti-
 tuit, eo solet durioribus & acerbioribus, tum externis, tum internis eum
 doloribus affligere. Ita si cunctos superiorum temporum sanctos aspiciamus,
 ut quique Deo fuere charissimi, & vitæ sanctimonia præcellentius instru-
 cti, ita eos videbimus plura immanioraq; perpeffos cruciamenta. Puras si in
 huiusmodi cruciatibus & afflictionibus non maxima inesset utilitas, Deus
 benignissimus talibus amicos suos vexari permetteret? Minimè verò. Non
 enim delectatur pœnis nostris: & tamen affligit nos, quia cupit nos maximis
 afficere beneficijs gratiæ suæ: sed ea capere non sumus idonei, nisi prius bene
 purgemur: nihil tam efficax est ad purgandas & excoquendas animarum
 fœdes, quam ignis tribulationum & vexationum temporalium. Quæ res
 multos permouit amicos Dei, præcipuè martyres sanctos, ut ad immania
 quamuis tormenta haud aliter, quam ad epulas alacriter accurrerent, &
 quippiam se pati posse gratularentur. Sicut etiam de Apostolis S. Lucas re-
 fert, quod gaudentes ierint à conspectu concilij, quoniam digni habiti essent
 pro nomine Iesu contumeliam, imo & verbera pati. Nam flagellis tum caesi
 erant. Hæc etiam, ut scilicet aduersa libentibus animis perferantur, mul-
 tum confert non tam ipsa considerare aduersa, quam amorem, benignita-
 tem & beneuolentiam ea nobis irrogantis Dei. Nihil enim vnquam quic-
 quam nobis in hac vita molestiæ vel doloris accidit, quin ex æterna & in-

Hebr. 12.

Iniquos cur
Deus subin-
de flagellat.

Psalm. 10.

Quæsum
Deus summo
odio habere
dicatur.

Psalm. 90.

In afflictio-
nibus quo-
modo seip-
sum Deus
præbeat &
exhibeat.
Afflictionum
fructus mul-
tiplex quis.

Ignis tribula-
tionum vi ex-
coquat ani-
mas fideles.
Actor 5.
Aduerso quæ-
que quomo-
do leuia &
iucunda fiant
Dei amicis.



comprehensibili Dei charitate proficiatur. Dum igitur flagellis qualibet
 cunque nos inuisit, cogitemus ex amantissimo & verè paterno corde eius
 omnia præclarissima nobis donari: & licet ipsa per se molesta & aspera sint, ta-
 men contèplatione mittentis Dei paulatim dulcescent. Quanto autè plus ha-
 bent amaritudinis diuinæ flagella misericordig, tãto maiori ex beneuolen-
 tia & dilectione ea manare prorsus certissimi sumus. Atq; vtinam ea essent
 animi fortitudine & cõstantia præditi, vt afflictiones audissimè sentiremus,
 quemadmodum Saluator noster vnigenitus Dei Filius nihil æquè tota vi-
 sua appetiisse videtur. Imo in ipso matris suæ vtero crucè sibi tanquã spon-
 sam gratissimã & electã ex millibus ardentissimo amore coniunxit, & vicem
 ad vltimũ vitæ articulum nullo quamuis breuissimo temporis spatio dereli-
 quit. Et vt nulla electorũ suorũ aras à cruce immunis esset, statim post or-
 suũ innocentissimos paruulos grandi numero, id est, vt habet missa Aethio-
 pica, quatuordecim millia crudeliter extingui permisit, quo simul etiã tan-
 gloriosius coronaretur. Quisquis igitur in membris Christi appetit nume-
 rari, crucè amplectatur, crucè semper & vbique ferat, à cruce nunquã se auelli
 patiat: mollia autè & fallacia temporalium, vanitatũ & oblectamentorum
 blandimèra & illecebras carnis, tanquam insidiosissimum diaboli laqueum
 semper fugiat quantum potest. Sed ne beatissimorum paruulorum, Christi
 innocentium martyrum solennitatem absque fructu nostro celebrare vide-
 mur, debemus charissimi ex eis quædam nobis imitanda sumere. Neque enim
 quod putemus in tantilla ætate deruisse virtutes, quas etiam viros imitari
 deceat. Nam hoc ipso quod paruuli fuere, summam in se nobis innocentiam,
 mansuetudinem, humilitatem, simplicitatem, pluresq; alias virtutes exhibent.
 Vnde etiam Christus ad beatam nos infantiam reducere cupiens. Nihil
 inquit, conuersi fuerit & efficiamini sicut paruuli: non intrabitis in regnum celorum.
 Imitemur igitur primo paruulorum innocentiam, ne cui vnquam noceremus.
 Nullus in animo rancor, nulla maleuolentia, nulla nocendi libido,
 nullum odium resideat. Si quando que subita subrepit iracundia, non re-
 neatur: non hæreat animo, non erumpat in vindictam, sed mox sopita con-
 quiescat. Imitemur etiam humilitatem. Paruuli quamuis diuites non falli-
 diunt consortia pauperum paruulorum eadem facilitate iunguntur infima
 fortis puerulis, vt maximè fortunatis: non se extollunt, non sunt ambitio-
 si, nõ suas opes aut generis dignitatem iactitant, non cupiunt alijs anteferrè.
 Quid non in his est, quod omni Christiano maximè sit expetendum? Atque
 hæc omnia verè præstat humilitas, quæ virtus sicut est præcipuè necessaria
 filijs gratiæ qui à Christo iubentur discere quod sit mitis & humilis corde:
 ita penè apud Christianos omnes prorsus sepulta & explosa videtur. Si qui-
 iam mundi fastum sectari nolit, sed Christi humilitatem in se malit vt carere
 que exprimere, non aliter quam amens quispiam aut barbarus irridet.
 Verum tanto nos magis oportet tam eximiam excolere virtutem. Hoc ip-
 sum enim argumento est multum eam placere Deo, & inuisam esse diabolo,
 quod insipientes & miseri filijs seculi huius vsque adeo eam contempti ha-
 bent. Porro ad obtinendam veram humilitatem, maximè conducit agnitio
 sui, vt agnoscas propriam vilitatem & fragilitatem: quam quisquis bene ag-
 noscit, non solum ea sibi imputat peccata, quantum quidem ad ipsum pertinet

Cruce sua cui-
 que qui ferē-
 da.

Innocentes
 martyres qui
 imitandi sunt.

Matth. 18.
 Virtutes in-
 nocentium
 quæ non imi-
 tanda sunt.
 Innocentia.

Humilitas.

Matth. 11.

Humilitati
 obtinendæ
 quænam ne-
 cessaria sunt.

net, in quæ prolapsus est, sed etiam in quæ prolabi potuisset & haud dubiè prolapsurus fuisset, nisi Dei benignitate seruatus esset, nisi occasiones & tēta-
 Bernard.
 tionēs ipsi subtraherent, dicitq; cum D. Bernardo ex sententia: Nisi quia
 Psalm. 99.
 Dominus adiuuit me, paulo minus cecidisset in omne peccatum anima mea.
 Atq; hac consideratione non se extollit, etiamsi se sentiat non admodū gra-
 uiter peccasse. Sic enim hoc nō suæ virtutis, sed solius esse misericordiæ Dei:
 nec facili sibi tribuit innocentiam, sed potius mortaliū omniū miserimū
 se cōfiteatur. Nec opus est, id vt simulatē faciat. Nam reuera ita est: & esset sanè
 Paradigma.
 Sylois.
 miserimus omnium, nisi diuinitus protectus foret. In vitis patrum de bea-
 tissimo abbate quodam Sylois vocato exemplum memorabile profun-
 distimæ humilitatis legitur, quod cum multis annis sanctissimè & seuerissi-
 mē vixisset, videretq; angelos venientes, qui eius animam ducerent in cælū,
 petierit spatium sibi concedi, quo adhuc pœnitentiam ageret: & cum astan-
 tes fratres dicerent eum non habere opus pœnitentia, responderit nescire se
 si vel initium pœnitentiæ fecisset. Ecce quantum ab eius oculis omnem ante-
 actam perfectissimam vitam summa humilitas abscondit, quæ cum nō sine-
 bat aspiciere quid fecisset, sed quid esset ex seipso. Semper enim vera humili-
 tas abscondit homini bona illius, tanquam quæ solius Dei sint: mala autem,
 quæ propriè nostra sunt semper ob oculos ponit, nisi fortè quandoque ni-
 mia animo obrepat pusillanimitas vel desperatio, propter quā vile sit & ex-
 pediens rectè facta sua ad memoriam reuocare, quemadmodum Ezechias,
 rex cum se moriturū putaret, stens dixit ad Dominum: *Memento queso, quomo-
 do ambulauim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum est coram
 te fecerim.* Hæc humilitatis virtus in tantum placuit Deo in beatissima sem-
 perquæ virgine Maria, vt illius specie ac pulchritudine captus, nimium quæ
 delectatus, vltra se cohibere non posset, quin in ea & ex ea naturam humanā
 assumeret. Erant quidem in illa sacratissima virgine plures aliæ, imo & om-
 nis generis virtutes etiam in summo gradu, & tamen nulla sic regem gloriæ
 illexisse & attraxisse videtur, vt eius inæstimabilis humilitas. Potest hoc ip-
 sius venerandæ virginis testimonio comprobari. *Respexit inquit, Dominus
 humilitatem ancilla sua.* Non dicit virginitatē, quæ in ea erat integerrima, non
 charitatē, non sapientiam, non qualuis alias virtutes, sed tantū humilitatē.
 Et quid mirum, si tantā apud Deum gratiā nobis conciliauit humilitas, quā-
 do superbia ex angelis demones, ex paradisi habitatoribus exules & dæmo-
 num seruos fecit? Si enim tantū potuit nocere superbia, cur non multo am-
 pliùs humilitas prodesset, cum superbia vel diabolicæ vel humanæ malitiæ
 vitium sit, humilitas autem donum gratiæ celestis? Sed emur hanc virtutem
 dilectissimi, vt nos quoq; apud Deū gratiā inueniamus. *Excelsus Dominus, ait
 Propheta, sed humilia respicit, alta autem, id est, superbos à longè cognoscit.* Atq;
 idem ipse *superbus resistit, ac humilibus dat gratiam.* O quam multi simplices & i-
 diotæ suæ humilitatis merito ad maximam euecti sunt Dei familiaritatem,
 vbi contra multi philosophi, multi etiam seculi sapientes ob suam superbiam
 demeriti sunt in cenū stultissimarum opinionū & portentosarū hæresum, &
 quod magis horrendū est, in profundissimā tartari abyssum. Sed pergamus
 nunc ad ceteras paruulorū virtutes cōmendandas, quæ etsi plures sint quā vt
 hoc loco cōmodè tractari queant, ex ijs tamen vel vnā, nepe simplicitatē vo-
 p. 4. bis cha-

Humilitas
vera vt homi-
ni sua bona
semper ab-
scondit, ma-
la autem ob
oculos po-
nat.
4. Reg. 20.
Humilitas
beatissimæ
Mariæ quan-
tum Deo pla-
cuerit.
Psal. 44.
Lucæ 1.
Esaie 40.
Gen. 3.
Psalm. 137.
Prouer. 19.
Iacob. 4.
1. Pet. 5.
Humilitas
simplex quā-
ti meriti sit
apud Deum.
simplicitatis
virtus quoniam
sit facienda.

VI
22

Matth. 10.
Iob 1.

his charissimi imitandam proponemus. Hanc enim ut Christiani omnes sectarentur, Christus ipse admonuit ubi ait: *Esote simplices sicut columbe: quæ virtus etiam in S. Iob diuino testimonio laudatur, dicente scriptura quod fuerit vir simplex.* Hæc virtus præcipue ornat omnes è religione Christianos, à quibus maximè abesse debet omnis duplicitas, omnis simulatio & hypocrisis, quippe qui simplicissima veritati, id est, Domino nostro Iesu Christo in baptismo nomen dedere. Absit igitur, ut quisquam quicquam erga proximum suum per fraudem, dolum, & calliditatem gerat, absit ut quicumque mendaciorum cuniculis fratres euertere velit. Sit in omnibus vera & Christiana simplicitas, qua syncerè & ex animo cunctis gratificari, prodesse & opitulari pro sua quisque virili cupiamus, neque tamen pro huiusmodi studijs & officijs beneuolentiæ & charitatis, humanas captemus laudes: nam & id quoque duplicitatis est, quam Dominus condemnat, ubi ait: *Nemo potest duobus dominis seruire: sed simplici corde vni Deo ac Domino nostro in omnibus placere appetamus.* Ita nimirum verè paruuli erimus, & faciemus satis Dominicæ adhortationi qua ait: *Nisi conuerſi fueritis & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum celorum.* Iam finem sermoni nostro imponere liberet: sed quia superius multa de aduersitatum tolerantiâ ac utilitate dicta sunt, quoddam hic exemplum memoratu dignissimum recitare placeret, quod posset animos vestros ad aduersorum perſeſionem vehementer accendere. Neque me putetis narrare fabulam, sed rem gestam, quam fide dignissimus D. Ioannes Cassianus Abbas in XV III. Collatione patrum commemorat in hæc verba. *Fœmina quædam haud obſcuris orationibus, Alexandriæ degens in domo quæ ipsi à parentibus fuerat derelicta, religioſe Domino deſeruebat. Hæc igitur veniens ad beatæ memoriæ Athanasium Episcopum, precabatur ut aliquam sibi alendam viduam daret, quæ ecclesiasticis sumptibus pasceretur. Et ut petitionem eius verbis ipsius exprimamus, Da mihi, inquit, aliquam de fororibus, in qua repaſsem. Sacerdos igitur cum laudasset propositum fœminæ quod eam ad opus misericordiæ vidisset esse promptissimam, iussit ex omnibus eligi viduam, quæ & honestate morum & grauitate ac disciplina omnibus præferretur, ne forte desiderium largitatis percipientis vitio vinceretur, & quæ mercedem quæreret in egena, damnum fidei prauis eius offensa moribus pateretur. Cui cum domum adductæ omnibus deſeruiret obsequijs, virtutem modestiæ eius ac lenitatis experta, vidensquæ se ab ipsa momentis singulis gratiarum actione pro officio humanitatis honorari, post dies paucos ad memoratum reuertitur sacerdotem, Rogaueram inquit, ut mihi daret quam ego reficerem & cui morigeris famularer obsequijs. Cumquæ ille necdum propositum fœminæ ac desiderium intelligens, aestimasset petitionem eius dissimulatione præpositi fuisse neglectam, causasquæ moræ illius non absque animi sui commotione perquirens, protinus agnouisset honestiorem ei cæteris viduam deputatam, occultè præcepit, ut ea illi quæ esset cunctis nequior traderetur: quæ scilicet vel iracundia, vel rixis, vel vinolentiâ, seu verbositate atque etiam vanitate cunctas, quibus hæc vitia dominarentur, excederet. Quam cum multo facilius inuentam sibi traditam domi habere cœpisset, atque eadem ei diligentia qua priori illi viduæ vel etiam*

Duplicitas
quam quam
duplicat
Deo
Matth. 6.
Matth. 8.

Paradigma.

Audio

studiosius ministraret, hoc solum ab ea pro tantis obsequijs recipere gratiam, ut indignis iugiter afficeretur iniurijs, conuictijs quoque ab ea exprobrationibusq; continuis vexaretur, obijcientis ei & maledicis obrectationibus increpantis, eo quod se non ad refrigerium, sed potius ad cruciatum & contumeliam ab episcopo poposcisset magisque se de requie ad laborem, quam de labore transtulisset, ad requiem. Cum ergo assiduitas iurgiorum eo vsque prorumperet, ut ne ab iniectioe quidem manuum proca mulier temperaret, illa autem humilioris obsequij ingeminarer officia, non furentem vincere renitendo, sed semetipsam humiliter subiiciendo discebat, ut multimodis indignationibus laceffita, iurgantis insaniam humanitatis mansuetudine definirer. Quibus ad plenum exercitijs confirmata, perfectamque virtutem desiderata patientiam consecuta, ad memoratum sacerdotem, tam pro electionis illius iudicio, quam etiam pro beneficio exercitationis sua gratias relatur perrexit, eo quod secundum desiderium suum tandem ei magistram patientiam dignissimam prouidisset, cuius iniurijs iugibus ut quodam palestra oleo quotidie roborata, ad summam animi patientiam perueniret. Tandem inquit, dedisti mihi in qua repauserem. Nam illa prior suis me potius honorabat ac refrigerabat obsequijs. En dilectissimi quantopere femina hæc, ut eiusdem D. Ioannis Cassiani, ex quo ista descripsimus verbis utar non solum tentationum non vitari incursus, sed etiam molestiarum sibi occasiones procurarit. Ve igitur tandem finem nostro sermone imponamus discamus obsecro vana mundi blandimenta stoccipendere, discamus pro Deo & amore Dei libenter aduersa perpeti, certi quod blanda plerumque fallacia, aduersa vero semper salutaria sint. Imitemur beatissimorum innocentium martyrum innocentiam, imitemur humilitatem, atque eorum quoad possumus simplicitatem vere columbinam sectemur, non ita tamen ut sensibus sed malitia paruuli simus. Atque ut ad hæc, imo & ad virtutes omnes excolendas ac apprehendas magis sumus apti & instructi, vitemus immoderatam voluptatem que ex cibo potuque capitur, vitemus somni intemperantiam ac iniquitatem, vitemus occupationes, & studia infrugifera, vitemus animi multiplicem distractionem ac dilacerationem, vitemus confabulationes, & inaniloquia, vitemus omnem duplicitatem & hypocrisim, vitemus denique rerum labentium ac viliu appetitiones. Hæc septem quisquis bene vitauerit, facile virtutes omnes adipiscetur gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre & sancto Spiritu vna est gloria ac indissimilis potestas per infinita secula seculorum, Amen.

1. Corin. 14.

IN FESTO CIRCUNCISIONIS DOMINI
nostri Iesu Christi, Epistola B. Pauli Apostoli
ad Titum tertio.

Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei. Non ex operibus iustitie, que fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit, per luanacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum Saluatorem nostrum. Ut iustificati gratia ipsius, heredes simus secundum spem vite aeterna, In Christo Iesu Domino nostro.